



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

R. Angliae Regi Illvstri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

sona idonea faciendam, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstatculo, procedatis. Nos [enim] dilectis filiis Corbeien. & de Hersued. Abbatibus & Decano Paderbornen. dedimus in mandatis, ut postquam ad electionem juxta mandatum apost. processeritis, vel si jam forsitan processistis, ipsi tam formam electionis quam personam electi diligenter examinet; & si eam canonice & de persona idonea invenerint celebratam, ipsam sublato appellationis obstatculo auctoritate nostra non differant confirmare; laicis sub pena excommunicationis firmiter inhibentes, ne amplius quam consensum debitum in electione presumant aliquatenus usurpare. Eisdem etiam firmiter auctoritate nostra præcipimus, ut prædictum quondam Episcopum per distictionem ecclesiastical compellant quod bona Hildesem. Ecclesiae, qua per ipsum sunt impedita, non differat expedire, & tam vos quam Ecclesiam vestram ab ipsis & fautorum suorum gravamine tueantur. Provideatis autem ut taliter quam mandamus curetis effectui mancipare, quod non videamini mandati apostolici contemptores, & de inobedientia, per quam fuit primus casus hominis procuratus, argui non possitis. Datum Laterani II. Nonas Maij.

*CORBEIEN. ET DE HERSED.
Abbatibus, & Decano Paderbornensi.*

Epi. 55.
De codem ut-
gumento.

CVM in negociis &c. serè in eundem modum ut supra usque ad verbum gravamine tueri curetis. Nullis literis veritati & justitiae &c. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut supra.

C I. LVBVSSEN. EPISCOPO.

Epi. 56.
Ex laxiori or-
tine monastico
& archiore
transl. lice,
ten cognit.

REFERENTE dilecto filio fratre B. Hospitalario, nostro est apostolatu referatum quod cum à tempore juventutis sua secundum institutiones Canonico-rum regularium Arrouvasien. Ecclesiae beati Augustini regulam professus fuisset, & in ea ultra decennium permanens, sacros ordines usque ad sacerdotium suscepisset, juventute postmodum impellente, curiositate potius quam religionis amore devictus, terram Hierosolymitan. & alias videre desiderans, ab Abate suo non tam voluntariam sub eadem conditione licentiam obtinuit quam extortam ut si bonae me. Alexandrum Papam prædecessorem nostrum inveniret in via,

causam itineris sibi exponeret, & juxta mandatum ejus vel procederet, vel redire. Verum ipse neglecta conditione procedens, suscepit habitum Hospitalis, in cuius servitio usque ad hæc tempora fideliter laboravit. Sed cum ordo præmissus distictioris sit observantie quam secundus, prudenter attendens quod de laxiore ascendendum sit ad ordinem arctiorem, non autem de arctiore ad laxiorem sit ratione aliqua descendendum, ad se Domino inspirante reversus, ad bonum redire desiderat quod dimisit. Cum itaque non mediocriter erret qui minus bonum majori bono præponit, fraternitati tuae per apost. scripta mandamus quatenus inquisita super præmissis diligentius veritate, si rem invenieris ita esse, præfato fratri B. licentiam auctoritate apostolica præbeas ad primum ordinem redeundi. Datum Laterani VIII. Idus Maij.

R. ANGLIAE REGI ILLVSTRI.

APOSTOLICA sedes universorum Christi fidelium mater & magistra non ab homine sed à Deo potius constituta, tunc verae matris affectum & magisterij redolet disciplinam, cum ad benignitatem gratia diligit filios, & discipulos ad justitiae dirigit æquitatem. Non enim potest vel dissimulare matrem, vel magistrum qualibet occasione negligere, qua à Domino in signum dilectionis oves dominicas pascendas in beato Petro receperit, & ligandi & solvendi ab eodem & in eodem obtinuit potestatem. Ad id autem juxta pastoralis officij debitum exequendum circa nostræ promotionis initia regia serenitas per literas, quas penes nos in tua serenitatibus testimonium referavimus, efficaciter nos induxit, dum ut benignè tractaremus subditos, & in causis fine personarum acceptione procedere curaremus, nec declinantes ad dextram nec ad sinistram, per easdem literas & consuluit salubriter & humiliter postulavit, addens quod sic possemus cervices sublimium & superborum colla calcare. Et pastoralis igitur officij solitudine provocati, & regalis consilij continentiam recolentes, venerabili fratri nostro G. Eboracen. Archiepiscopo ad sedem apostolicam recurrenti nec voluimus nec debuimus audientiam vel justitiam denegare. Conquerebatur enim se per magnificantiam tuam temporali-

Epi. 57.
Quod restituit
bona Archie-
piscopo Eboracen,
& per-
mittat ipsum
administra-
tio-
nis officium li-
berè exercere.
*Vide Roger. de
Hoveden. ad
an. 1198. fol.
446. edit.
Londin.*

A A a

370 Epistolarum Innocentij III.

bus sui archiepiscopatus redditibus de-
stitutum, & quod longo fuerat afflitus
exilio, & in injuriam totius Cleri mendi-
care coactus, supplex & humilis propo-
nebat. Volentes itaque ipsum tanquam
fratrem nostrum & Ecclesiae filium dili-
gere ad gratiam, & te tanquam catholi-
cum Principem & apostolicæ sedis filium
specialem ad justitiam dirigere conser-
vandam, immo directum potius exhortari,
cùm incontemptum ejus cuius exi-
stit minister, & apostolicæ sedis injuriam,
quæ ipsum in partem solitudinis evo-
cavit, & tuam etiam (ut prosequamur
verum) verecundiam, cuius est frater,
redundet ministrum Dei solitudinis
nostræ consortem & regali stirpe proge-
nitum mendicare, serenitatem regiam
omni qua possumus affectione rogan-
dam duximus & monendam quatenus
tam nos quām te ipsum ab hujus onere
difficultatis absolvias, & à labiis liberes
detractorum, qui non solum quæ perpe-
ram attentant ad detractionem assu-
munt, sed etiam secundū Prophetam
exacuerunt ut gladium linguas suas, te-
tenderunt arcum rem amaram, ut sagit-
tent innoxios in occultis. Attendas igi-
tur quanta nos infamia, quanta te de-
tractio sequeretur, si vel justa petitio
exulis non introiret in aures nostras, vel
te fratris exilium non moveret, & eun-
dem Archiepiscopum ob reverentiam
apostolicæ sedis, quæ te tanquam filium
diligit specialem, & in hoc & majoribus
de celitudinis tuæ sinceritate confidit,
in plenitudinem gratiæ regalis admittas,
& diligas sicut fratrem, & velut Christi
ministrum honores: ut in uno eodemq;
negocio Deum tibi reddas propitium,
consulas apostolicæ sedis honori, tuæ sa-
luti provideas, & fratri subvenias exal-
lanti. Memor esto salubris consilij quod
nobis per tuas literas (ut diximus) præ-
buisti; & dum secundū illud nos agere
recognoscis, quod agimus approbes, &
regaliter exequaris; ne qui nos justè in
omnibus procedere suggestisti, secundū
justitiam agentibus te opponas, sed
taliter ad exhortationem nostram cures
cum eodem Archiepiscopo convenire
quod jura ejus auferre vel minuere mi-
nimè videaris & ipse contra suam & Ec-
clesiæ non veniat honestatem. Ad id au-
tem laudabilius & celerius exequendum
venerab. fratrem nostrum Rothomagen.
Archiepiscopum & dilectum filium Ab-

batem de Persagia, de quorum discre-
tione plenè confidimus, duximus depu-
tandos, qui honestum modum pacis in-
veniant, & eundem Archiepiscopum re-
giae benevolentia reconciliare studeant,
& in tuæ serenitatis devotione ac obse-
quio solidare. Quod si fortè (quod ab-
sit) per eos tractatus pacis juxta votum
nostrum & desiderium non poterit con-
summari, eundem Archiepiscopum ad
temporalia restituere non omittas, nec
impedias quod minus in spiritualibus cre-
ditæ sibi dispensationis officium exequa-
tur; sciturus nos dilecto filio P. sanctæ
Mariæ in via lata Diacono Cardinali,
apostolicæ sedis Legato, dedisse firmiter
in mandatis ut apud te monitis & exhor-
tationibus diligenter insistat quod eidem
Archiepiscopo possessiones subtractas si-
ne dilatatione & difficultate restituas uni-
versas, & de proventibus inde perceptis
& damnis illatis satisfacias competenter.
Ita quod si ipse aliquid serenitati regiæ
tenetur exoluere, tibi cum integritate per-
solvat. nisi forsan quod tibi debeba-
tur, de ipsius proventibus à te vel alii
tuo nomine sit perceptum. Datum Late-
rani IV. Kal. Maij.

*Scriptum est super hoc Rothomagensi Ar-
chiepiscopo & Abbatu de Persagia ferè in
eundem modum ut supra usque in finem, &
hoc plus. Volumus autem nihilominus &
mandamus ut literas nostras, quas eidem
Regi pro dicto Archiepiscopo destina-
mus, ipsi præsenteris, & responsum ejus
cureteris dicto Cardinali per vos vel per
literas vestras pleniū intimare. Quod si
ambo &c. alter &c. Datum ut supra.*

R. ANGLIAE REGI ILLVSTRI.

A Postolica sedes &c. usque in finem,
& hoc plus. Alioquin cùm sereni-
tatem tuam super hoc temel & iterum &
rogaverimus efficaciter & monuerimus
diligenter, et si molestius nobis quām tibi
fururum existat, si te occasione qualibet
molestemus, quia tamen à prædicto tuæ
serenitatis consilio declinare nec volu-
mus nec debemus, ne culpa tua nobis &
in præsenti ad detractionem & in futuro
imputetur ad poenam, eidem Cardinali
dedimus in mandatis ut magnificentiam
tuam ad hoc per interdictum totius Ebo-
racensis provinciæ appellatione remota
compellat. Et si nec sic infra tempus
quod idem Legatus tibi statuerit, effe-

Epi. 53.
De codem 22.
gumento.